

Epistula de Musulmanis Gregi Latine Loquentium missa (17/09/2010)

Olivarius e Francogallia sodalibus omnibus salutem.

Cum nova occasio disputandi de Musulmanis orta esset, postquam ille Americanus pastor se Koranum exustum juraverat, primae voces in hoc grege communem metum expresserunt easque opiniones de Christianitate et orbe Occidentali et hostibus utriusque quae vivam Latinitatem plerumque consequuntur, tunc timebam, sicut umbra sua. Etenim tantus est amor rerum traditarum ac historicarum apud nos (sicut Victorius confessus est) ut non nisi ad quoddam praeteritum mythicum referentes nos, litteratos classicos qui dicuntur, res hodiernas interpretemur. Sic quidem sentiebam animoque horrebam de nonnullis opinionibus aperte jureque expositis et de non-dictis quae eadem pudice celare possent. Longe enim sensus plus quam intellectus et ratio vel etiam quod veram fidem christianam esse credo hoc argumento sollicitatur. Sed aliae voces in hac aula deinde auditae sunt quas sapientium habeo atque imprimis Paulo et Iohanni et Massimiliano et domino Ivo sed etiam eis qui prudens silentium de his gravissimis rebus malunt servare gratias ago. Non enim omnes nostrum se otium et sollertiam Latine scribendi de causis tam difficilibus habere opinantur. Et ego hoc facio nec spero hanc epistulam cuiuslibet consuetudinem putandi mutaturam. Erasmus noster Lutherum convincere non potuit nec sum Erasmus ! Immo hic ardens pacis defensor iram ac invidiam potius quam consensum suscepit, quod dolendum est maxime.

(Haec est introductio. Argumenta mox sequentur)

Ut brevi dicam, argumentationibus trium generum opinionem cuiusdam belli tam necessarii quam sempiterni inter orbem qui non sine confusione Musulmanus dicitur atque orbem qui Christianus itidem dicitur refellam : argumentatione primo scientifica, ut ita dicam, de numeris, secundo philosophica de mente Musulmana, tertio theologica de fide cuiuslibet cultus. Nec modo opinionem meam propriam exponam sed hodierna facta quibus ratio et intellectus nec solus sensus et recordatio rerum praeteritarum examen magis aequum faciat.

Nunc de numeris pauca dicam. Nam saepe auditur traditurque Musulmanos in Europa numero maiores in annos fieri atque quasi res omnino novas mox facturos, terrasque fidei christianae vel laicismi moderni (cuius radices in traditione christiana reperiri possunt) sibi subjecturos. Ubi vero sunt fontes scientifici talis interpretationis rerum ? Fortasse nonnulli Americani ut Stephanus Simpson eo facilius metum agitant (non sine secreta libidine Europae labentis videndae) quo longius vitam agunt a veteribus terris ubi homines amborum cultuum quasi vicini semper fuerunt, et in bellis inter se faciendis. Nec vero sola bella fecerunt ut inter se miscerent sed opera pacis quoque sicut communicationes mercium et doctrinarum et hominum operam quaerentium. Magis id me pudet quod discipuli Graecae scientiae et philosophiae rhetoricam tantum sapire videantur ! Quid enim sibi volunt sententiae generatim dictae quasi « vires eorum, ut iam a gregalibus semel et iterum dictum est, in dies augere vidimus », vel « condiciones demographicas si quis tantum consideret, ei vix credibile videatur fore ut Christianitas in hac mundi parte instauretur », vel « De re demographica in Europa hoc tantum dicam : quaerendum est non *utrum* sed *quando* numeris exsuperent Mahumetani Christianos », cet. Sed, vos amabo, numeri acuti et varii exponantur dignasque interpretationes accipiant ! Nam ego plus confido eis quorum officium est demographiae et historiae studere, sicut ei duo Francogalli nominibus Youssef Courbage et Emmanuel Todd qui nuperrime librum de hac quaestione ediderunt c.t. *Le rendez-vous des civilisations* (sive « de [conjiciendo] cultuum et nationum congressu », sept. 2007, Le Seuil editore). Mihi deest tempus ut summarium faciam illius libri. Sed clare explicant cur conclusio Americani

collegae nomine Dudley Sirk, qui fecunditati apud Musulmanos annis 1960 studuit non iam valet. Quia ab illo tempore fecunditas in omnibus fere Musulmanis nationibus “incredibiliter” decrevit. Cuius praecipuae causae, ut acutissime sc. non generatim sed saepius de quaque natione explanant, non solum in rebus oeconomicis sed etiam in amplificata educatione reperiuntur. Ita fit ut in Libano numerus liberorum pro quaque muliere hodie 1,7 adipiscatur (qui numerus vix indicium britannicum superat) atque in Tunesia 2,0 (qui numerus idem est in Francogallia et in America septentrionali). Certe illi sunt numeri minimi apud nationes Musulmanae sed omnes earum (ubi nunc inter 3 et 4 liberi pro quaque femina inveniuntur) praeter Iemen (6,2) similem evolutionem ac in Occidentali orbe sine dubio praebent. Etiam explanant cur haec fecunditatis diminutio in Irania cum rebus novis Islamicis concordat contra regiminis voluntatem : quod enim dicunt Islamici rectores sicut Ahmadinedjad in Irania aut Erbakan in Turcia (“multos liberos habere ut potentiores fieri”), populi non faciunt quia mens et cultus modernus ita vult ubique.

Nunc vero alium librum scientificum citabo cuius auctores, duo Francogalli sociologi, de « integratione » in terra nostra recentius ediderunt (Claudine Attias-Donfut et François-Charles Wolff, *Le destin des enfants d'immigrés*, sive « quid fiunt immigrantium liberi ? », Stock editore). Omnibus originibus subtiliter consideratis duobusque sexibus comparatis, id opus ostendit quaestionem falsissime in casum nonnullorum suburbium maleficorum reduci. Nam integratio quae dicitur in Francogallia satis bonum successum habet praeter quod ad duos casus attinet : primo multi liberi ex Africa nigra cum universitariis et Francogallicis gradibus difficilius operam accommodatam inveniunt, secundo casus multo peior puerorum (non dicunt puellarum) quorum parentes vel avi ex Algeria oriundi sunt. Non enim res ita sint quod ad juvenes Marokiensis et Tunesiensis stirpis spectat. Cum autem docti has differentias caute interpretentur, sine dubio gesta in Algeria partim istam communem calamitatem explicat.

Sed de numeris satis hactenus.

(Altera argumentatio sequitur)

Nunc argumentationem philosophicam, ut ita dicam, nec minus in factis hodiernis nixam praebere voluerim contra quasdam opiniones non satis ratione firmatas de mente « Musulmana ». Sunt enim qui putent Musulmanos, nisi fanatici sint, quandam mentem et cogitandi consuetudinem in commune habere quae ferme adversariae nostris ‘Occidentalibus’ sive ad minus nimis disjunctae sint ut nobiscum in una societate et communione vitam agant. Primum non revertor ad errorem cuiuslibet argumentationis quae res generatim nec nominatim doceat. Ita de eo quod Occidens vocatur vel orbis Musulmanus ubi mores et modi cogitandi tam varii sunt quam hic. Nec plura dicam eis qui omnibus Musulmanibus mendacitatem imputent ubi primum cum Occidentalibus tractent, nisi hoc unum quod metus tum in prudentiam tum in insaniam etiam optimos homines inducere potest. Cui insania uno modo curatur sc. commercio privato cum aliquibus hominibus Musulmani cultus.

Primus error refellitur exemplis virorum et feminarum tum se dicentium Musulmanos cum pro pace inter omnes homines vehementer et fortiter pugnent, quamquam fanatici eisdem mortem minentur.

In Europa et in America tales pacis et hominis dignitatis defensores reperiuntur, sed etiam in ipso orbe Musulmano : e.g. in Francogallia Abdennour Bidar qui philosophiam in superiore institutione docet atque de absentia dei secundum Koranum cogitationes audacissimas suis in libris explicat, e.g. *L'islam sans soumission. Pour un existentialisme musulman* (« Musulmanus nec submissus. Pro quodam Musulmano existentialismo »), Albin Michel, 2008. In interrete si modo Francogallice scitis videte :

<http://www.e-ostadelahi.fr/eoe-fr/entretien-avec-abdenmour-bidar/>

In Germania quaedam mulier vere admiranda atque e Turcica stirpe multa fecit ut mores Musulmanos feminis obstantes et libertati communi et fidei Musulmanae ipsi (ita putat) denuntiaret et mutaret. Ei nomen est Seyran Ates. Videte :

http://en.wikipedia.org/wiki/Seyran_Ates

Liber eius autobiographicus in linguam Francogallicam conversus est :

La Traversée des flammes, Calmann-Lévy, 2005. Legite :

<http://www.editions-calmann-levy.com/livre/ecrivain-5178140-auteur-seyran-ates-livre-la-traversee-des-flammes-roman.html>

Tandem ad tertium Musulmanum qui nunc in America vitam agit et cultum suum in universitate docet vos referam, cui nomen est Tawik Hamid. Ecce situs eius (Anglice scriptus) :

<http://www.tawfikhamid.com/>

Haec exempla me convicerunt mundum Occidentalem quasi bonam fortunam Musulmanis esse sicut Musulmanam traditionem ipsam Occidentalibus ! Quod verum est extra fines nostras :

In quodam Algeriensi situ symbola (Francogallice scripta) invenitur c.t. « Le salut de l’Islam viendra-t-il de l’Occident ? » (« Nonne Musulmani ab Occidentalibus salutem accipient ? ») :

<http://algerie.wordpress.com/2007/01/22/le-salut-de-l%E2%80%99islam-viendra-t-il-de-l%E2%80%99occident/>

Sed illius Arabicae mulieris quoque memor sum quae nuperrime famosa in orbe terrarum facta est quia opera ab illa poetria confecta et recitata in quadam emissione televisiva plerorumque spectatorum suffragia tulerunt. Ad plura scienda de Hissa Hilal :

(Gallice)

<http://blog.lefigaro.fr/iran/2010/03/arabie-saoudite-poesie-contre.html>

(Anglice)

<http://www.thenational.ae/apps/pbcs.dll/article?AID=/20100319/NATIONAL/703189836/1040>

Quid tamen arte canebat ? Insaniam et violentiam et injurias fanaticorum accusabat quas orbis Musulmanus non minus patitur quam noster. Versibus Latinis ipse laudavi illam mirabundam et fortissimam feminam :

Cēlānt tē tōtām nīgrā vėlā, pōētrīā mīrā,
Fēmīnā tērrārūm quīs ōrītūr rādīāns.

Sēd cērtē vērb(a) ōrē tūō vōlītāntiā lātē
Cōr pūlchr(um) ōstēndūnt pācīfīcāns ānīmās.

Jam vero argumentationem philosophicam consequar ut errorem alterius generis denuntiem. Multi enim qui de Musulmanis generatim loquuntur nullum fere commercium eiscum quotidie habere videantur. Itaque sine pondere manet argumentatio de praeteritis et praesentibus et futuris quoniam illi homines quasi docti spectatores rerum sunt. Affirmant igitur res omnino non mutandas esse, nec saepe quicquam faciunt ut mutantur. Quod argumentum in [quadam] proxima epistula explicabo.

[Valete !]